

In ea sunt lectae litterae patris Possevini de eius congressu et colloquiis cum ill^{mo} d^{no} duce Nivernensi apud Grisones et deinde in Italiae finibus, de eius querelis etc., et quod saltem cupiebat venire nisi ut orator regis Navarrei seu Franciae, sed uti persona privata, et maior pars conclusit, postquam erat in Italia, ut admittatur ut persona privata, sed ea limitatione, ut prius de ea re praemoneatur d. c. Legatus in Francia et per eum catholici, quod non sit admittendus, sed si admittendus, non nisi ut privatus.

2^a paucis diebus Romae commoretur et paucis audientiis a S^{ra} Sua expediatur.

3^a ut ante huiusmodi resolutionem ei significandam accersatur et veniat ad Urbem p. r. Possevinus, ut exponat nonnulla quae ipse scribit oretenus tantum et non alias posse exprimere.

Item de praelatis, episcopo Cenoman, et aliis dictum, qui veniunt rationem reddituri de eorum actione circa receptionem et sequelam Navarri, ut recipiantur, tanquam rei se defensuri.

Et quod statim expediretur tabellarius.

Die sabbati VI mensis Novem. 1593 hora XVII fuit congr. Franciae et Inquisitionis insimul coram S^{mo} apud S. Petrum, cui interfuerunt coram S^{ro} Sua Ill^{mi} et r. d. c. Aragon., S. Sever., Dezza, Salviat., Lancel., Caet., Pinell., Ascul., Sarz., Matth., Acquav. et Toletus.

In ea fuerunt lectae litterae scriptae nomine S^{ae} Suae a d. card. S. Georgii ad patrem Possevinum, quod S^{ae} Sua erat contenta, illum ut privatum principem, non autem ut oratorem asserti regis benigne recipere, et quod haec resolutio erat facta in congr^o Inquis^o et Franciae etc., Sed quod ipse antecederet per quatuor dies, ut et veniret in Urbem, ut S^{ae} Sua de gestis per eum informari posset etc.

Et deinde eius litterae, quod dux erat in itinere veniendi ad Urbem, et ipse Possevinus erat iam Bononiae iter facturus Florentiam.

Ex quibus collegebatur quod dux veniret certior factus, quod reciperetur ut privatus ante reditum ipsius Possevini in Urbem contra resolutionem congreg^{ae} etc., et contra mandatum, ut aliquibus videbatur, licet ex litteris dⁿⁱ card^{is} S. Georgii aliter videretur intelligi.

Item scribebat quod ipse conficiebat quasdam scripturas pro duce Nivernensi, quas volebat vertere in linguam Gallicam, ut posset mitti in Franciam ad docendum de causis quare S^{ae} Sua non poterat admittere Navarrum uti regem et ducem Nivernen. uti eius oratorem.

Conclusum mitti tabellarium ad Possevinum cum mandato, ut significet duci Nivern^o, ut privatim absque pompa et magno comitatu veniret et in Urbe non esset commoraturus nisi per decem dies etc.

Ac insuper cum inhibitione, ut nullo modo daret huiusmodi scripturas duci nec gallice nec italice, et si dedisset, ut reciperet.

Prout factum est expedito tabellario cum diligentia, quo pervenerit ad Possevinum Florentiae, et ipse inde digrediens Perusia, se contulit in Marchiam et invenit ducem in terra Muniae prope Serravallem venientem Lauretana domo, et cum illo prudenter collocutus significavit eidem mentem S^{ae} Suae etc., ut Romae non degeret nec commoraturus esset nisi per decem dies, quod ille gravissime accepit etc.

Quia vero omnia quae in proxime praecedenti congreg^o ordinata seu constituta fuerant, rescita et propalata fuerunt, S^{ae} Sua de caetero